QUAESTIONES IUVENALIANAE

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA
RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINI

TRADITAM UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

KAL. MART. ANNI MDCCCXCV HORA XII

DEFENDET SCRIPTOR

ERNESTUS LOMMATZSCH
SAXO MEININGENSIS

ADVERSARII ERUNT:

AEMILIUS KRUEGER
CAROLUS MARBE
AUGUSTUS NUTH

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXCV

FRANCISCO BUECHELER

ANTONIO ELTER

HERMANNO USENER

Postquam Buechelerus in editione tertia saturarum Iuvenalis nonnullis locis demonstravit, quanti momenti et ad textum genuinum restituendum et ad textus historiam indagandam sint codicis Pithoeani s. Montepessulani manus alterius glossae, non alienum puto diligentius de isto correctore agere. Cum codex P huc transmissus a Buechelero conferretur, ipse quam potui accuratissime omnia descripsi, quae a manu altera (p) et inter lineas et in margine adnotata sunt.

Codex P initio saeculi IX scriptus est; eadem manus quae versus scripsit, et veteres commentarios in margine adiecit et nonnullas inter lineas notas interposuit. Inveni has:

I, 37 te] o pupille.[1])
49 octava] hora.
71 Lucusta] proprium nomen veneficae.
80 Cluvienus] pr. nomen poetae.
III, 138 numinis Idaei] Cibales.

Haud multo post alia manus (p) et textum emendavit vel potius mutavit et permultas inter lineas glossas addidit; praeterea compluribus locis scholia marginalia adscripsit.[2]) Nono etiam saeculo p corrigendo dedisse operam facile cognoscitur: nam litterarum ductus admodum similes sunt manui priori, accedit quod in versu II, 123 super glossas latinas glossae scriptae sunt lingua Germanica antiquissima hae:

segmenta: *monilia umaruang*
longos habitus: *tunica tunichun*
flammea: *operimentum capitis et orarium winfilun.*[3])

---

1) Haec glossa eodem modo quo scholia antiqua (cf. tabula Beerii libello adnexa) intermixta est verbis commentarii recentis. Sic enim
apostro o pupille (P) *pham facit ad quēq; clientem* (p)
legitur: Cum te summoveant.

2) De quibus rettulit Stephan in libro 'de Pithoeanis in Iuv. scholiis' p. 6 s. 8 adn.

3) De hac forma Wilmannsius a Buechelero rogatus sic iudicavit: 'winfilun ist eine höchst interessante Form. ahd. *wimpal* ist nur einmal belegt in den niederdeutschen Glossen zur Bibel in einem Carlsruher Codex aus St. Peter, mhd. *wimpel* begegnet öfters, wenn auch nicht gerade häufig, in ober- und mittelhochdeutschen Denkmälern. In derselben Form haben die niederdeutschen Mundarten das Wort ags. *wimpel,* engl.

Praeter hanc manum tres fere alias distingui posse puto, inter quas unam recentissimam ac pessimam. Sed quae addiderunt, paucissima sunt neque ad nostram commentationem ullius momenti. Ubicunque igitur *glp* vel *p* nominatur, primam tantum manum intellegi scito. E re videtur primum de glossis deinde de correcturis et lectionibus agere et indagare, quomodo cohaereant cum utraque Iuvenalis recensione.

I. De scholiis codicis Pithoeani interlinearibus.

Scholiis, quae p inter lineas adscripsit, nihil est commune cum vetere illo commentario, qui codicibus Pithoeano et Sangallensi servatus est, sed excerpta sunt ex eo scholiasta Iuvenalis, qui in codicibus deterioris classis invenitur quique in nonnullis codicibus nomen Cornuti prae se fert.[1]) Scholia, quae p margini adscripsit, paene ad verbum cum Cornuto congruere iam Stephan l. c. cognovit. Glossatorem etiam Cornuto auctore usum esse ut demonstrem, sufficiant nonnulla exempla.

V, 29 lagona: *occasione* cf. locum Cornuti, quem Hosius affert ex cod. Urbinati 661 [Mus. Rhen. XLVI (1891) p. 290].

'Saguntum civitas est Campanie, ubi infaustissimum bellum gestum inter Annibalem et Romanos. Lagena autem hoc loco pro occasione posuit. Orta in convivio qualibet occasione lite tam infausta pugna excrescit, qualis fuit apud Saguntum civitatem'.

VIII, 99 victis: *superatis, ut bona diriperentur sua.*

Eadem leguntur in margine codicis Vossiani 18 (Gigch I p. 26).

VIII, 148 sufflamine: *obiectione.* Similiter interpretatur Cornutus ad sat. XVI, 50 (Hoehler l. c. p. 27):

's. vocatur saxum vel lignum vel quidquid contra impetum currentis rotae obicitur.'

VIII, 190 triscurria: *scurrilitas nobilium.* Idem rectius quam scholia Cornutus exponit: 'triscurrium dicimus multiplex scurrilitas et componitur ex eo quod est tris et scurrilitas' (Gigch. l. c. p. 30).

VIII, 229 syrma: *tragoedias, quas Domitianus scripsit.* Cornutus: 's. ponit pro tragoedia, et est etiam s. longaria i. longa scriptura.

---

wimple, ndl. *wimpel*. Dies nd. *mp* lässt hd. *mpf* erwarten. Das inlautende *f* belegt nur Ihr Denkmal. Für einen Fehler ist es aber nicht zu halten.'

1) Brevitatis causa ista scholia interim *Cornutum* liceat appellare. Invenias frustula apud Cramerum ('In Iuv. commentarii vetusti' p. 570 sq.) et Hosium ('Apparatus criticus ad Iuvenalem' p. 95—99) ex cod. Lugd. 82. Singulas saturas ediderunt: ex codicibus Vossianis Gigch ('Apparatus criticus in Iuv.') sat. I et VIII et Schopen ('Unedirte Scholien zu Juv.') sat. III; ex codice Laurentiano 52, 4 Hoehler ('Scholia Iuv. inedita') sat. XII. XV. XVI. idem sat. VI nuperrime in Philol. LIII p. 505 sq. Denique a me rogati mecum communicaverunt et lectiones et scholia codicum Laurentiani 52, 4 Georgius Karo, Parisianorum 9345 et 7730 Maximilianus Ihm et Hermannus Schoene.

Ante statuam, inquit, Neronis nihil aliud ponatur nisi tragoediae, quas scripsit'.[1]) (Gigch. I p. 32.)

XII, 6 Iovi: *vitulus non taurus immolabatur.* Idem fere affert Cornutus: *Iovi vitulus non taurus immolabatur,* sed addidit: *ideo commisit Aeneas in Thracia piaculum* (Verg. Aen. III, 21).[2])

XII, 106 Caesaris armentum: *grex camelorum.* Sic Cornutus (Hoehler l. c.): 'Turnus rex fuit Rutulorum cuius possessio adhuc vocatur ager Turni. In Rutulis, inquit, agris pascuntur camelorum armenta, sed non ea possident alii quam reges et imperatores'.

Ex his, quae protuli, exemplis satis intellectum puto, quam arte cohaereant Cornutus et glp. Ex omnibus scriptoribus, quos Cornutus permultos[3]) citat in glossis Vergilius tantum restat, qui ad III, 258 affertur.[4])

Excerpsit Cornutum non is, qui glossas adscripsit: hoc probatur cum eo, quod in pluribus codicibus[5]) eaedem fere glossae inveniuntur, tum eo, quod scriba in describendis glossis saepius verba non recte intellexit falsoque scripsit. Velut ad II, 10 (cinaedos) legitur: *cinedi sunt molles evirati ministri matris deuer sive stupratorum.* Apparet p scriptum invenisse *deū* notamque falso explicavisse. XIV, 292 sic scriptum (ad verba *solvite funem*) *ut navigens extendite vela.* (with *a* written above *navigens*) In archetypo quin lectum fuerit *navigeñs* vix quisquam dubitet.

Praeter eas, quae ex Cornuto sumptae sunt, glossas perpaucae aliunde petitae sunt. Nonnullae cum scholiis Pithoeanis congruunt, cum Cornutus aliter interpretetur.

VIII, 15 Euganea: *venena* (lege: *veneta*) sic schol. P, Cornutus propter 'Allobrogicis' (v. 13) *Gallia* interpretatur.

XII, 91 ramos: *lauri* ex scholio ad h. l. Cornutus nihil praebet.

X, 38 tunica Iovis: *togam palmatam dicit* (glp). cf. schol. P: . . . *nam tunicam Iovis togam palmatam dixit.*[6])

III, 204 abaci: *delphicae mensae, tales quales conveniebat poni in mensa Apollinis, abaco.* 'quod nos delphicam appellamus' schol. P. Cornutus, ut solet, multa profert parum apta: 'A. est mensa geo-

---

1) Apparet hoc loco Cornutum duo contaminasse scholia: *syrma: scriptura longa* (cf. glossa Goetzii V p. 557, 46 *syrma: dictio longa*) et: *Thy. Ant. Menal.: tragoediae.*

2) cf. Servius ad h. l.: . . . . 'ubique enim Iovi iuvencum legimus immolatum, ut IX, 624; idem Iuvenalis (XII, 9). nam in victimis etiam aetas est consideranda.' Sic praecepit Ateius Capito secundum Macrobium III, 10, 3. cf. Prelleri Myth. Rom.³ I p. 214 n. 1.

3) Hoehler l. c. p. 4 nomina composuit.

4) montem: *lapidem et est totum a parte ut Virgilius* (XII, 119) '*ignemque ferebant*'. cf. Servius ib.

5) Glossas codicis Voss. 18 descripsit Schopen l. c. de codice Paris. cf. infra.

6) Falso igitur et Iahnius (ad h. l.) et Schulzius (Hermae XXIV p. 484) schol. P emendandum esse censuerunt. Eandem interpretationem invenias G. L. K. VII p. 544, 36. *Tunica Iovis toga . . .*

metralis, ... vocatur etiam abacus superior pars capitelli, saxum scil. quadrangulum, quod super marmoreas ponitur columnas. Dicitur et mensa marmorea, ubi ponuntur calices, qualem dicit habuisse Codrum.' Haec explicatio sumpta videtur ex scholio ad Persium (I, 131). Inde irrepsit in glossas Iuvenalianas, quas Henr. Keil edidit (Halis 1876. inveniuntur repetitae Gl. G. V p. 652 s.) *abacon signum geometricum, abacus mensa, in qua calices ponuntur.*[1])

Ubi denique glp nec cum scholP nec cum Cornuto congruunt, semper fere talia invenies, qualia inter lineas magistelli adiungere solent: dico adnotationes, quae ad dialogum pertinent[2]) et grammaticas, quales sunt II, 126 (clipeis) *deest sub*, V, 114 (iecur) *pro parte totum*, ib. 117 (facient) *si. ypallage est.* VI 318 (concubitus) *gen. est.* VII, 214 (Allobroga) *accus. Graecus.*

Saepius glp ideo solae interpretationem aliquam praebent, quod verba similia inter se confundunt falsumque interpretantur. Ut III, 248 — clavus: *lancea vel pero vel baculum* — apparet glossatorem intellexisse et clavum et clavam. Quod VI, 202 'mustacea' explicatur *vina non adeo bona,* 'musta' quin dicatur, nemo dubitet. VIII, 113 Corinthon: glp *Tusciae civitatem.* Legit p *Corĩthon* intellexitque Corython urbem Etruriae.[3]) XV, 25 legitur: Corcyraeo: *Cretensi.* Certe falso; recte se habet, si legimus *Corycaeo,* nam Corycoe insulae iuxta Cretam (Plin. N. H. IV, 61).

Nullo fere loco glp sic a Cornuto discrepat, ut ex alio fonte hausisse videatur. Nam quod I, 22 Maevia *nomen venatricis* dicitur (*matrona* Corn.), nihili est: apparet hanc interpretationem ex ipso versu sumptam esse, item IV, 123 oestro '*veneno*' glp. '*i. e. musca, quam rustici asilum vel tabanum vocant*' Corn.[4]) Rectius IV, 29 'induperator' a Cornuto (Cramer l. c. p. 591) '*epenthesis*' nominatur, quam a glp '*ectasis*'.[5])

Iam ut omnia quae huc usque disputata sunt, comprehendamus: vidimus glossas codicis P paene omnes ex Cornuto sumptas esse; habemus igitur glp ut vetustissimum testem huius interpretis: nam codices Cornuti omnes aetate inferiores sunt.

Vel ex hoc argumento falso iudicasse Iahnium[6]) apparet, qui

---

1) cf. glossa Goetzii (V p. 615, 45): *a. est pars capitelli vel tabula lusoria vel mensa marmorea, in qua antiqui mittebant calices.*

2) ut IX, 39 *verba cinedi.* 46. *poeta dicit* 50. *verba catamiti.* 66 *vox avari* e. q. s.

3) Excusatur hic error, quod Nicaei quae dicitur recensio VIII, 62 legit *Corythae posteritas*, ubi Cornutus adnotat *Tusciae civ.* cf. Serv. ad V. Aen. I, 380 ...*quaero patriam, hoc est Corythum, Tusciae civitatem,* nonnulli codices praebent *Corinthum.*

4) Hosius l. c. p. 97. — Auctor est Servius (V. Georg. III, 137), inde glossa V p. 169, 17 Goetz.

5) De epenthesi cf. Diomed. p. 441, de ectasi Charis. p. 278 (= Diom. p. 442).

6) Proleg. in Pers. p. CXXXI. Secutus est Iahnium C. F. Hermann

Cornutum nono p. Chr. saeculo attribuit. Nam si iam saeculo nono excerpta huius commentarii pervulgata erant — in ceteris enim codicibus velut Voss. 18 s. X et Parisini 9345 s. XI ad verbum eadem leguntur — non eo demum tempore Cornutum exstitisse verisimile est. Liebelii sententiam[1]) qui ni fallor Cornutum tertio decimo saeculo vixisse putat, vix est quod refellam.

Atque habemus alterum testem Cornuti satis vetustum, codicis P fere aequalem, dico eum codicem, quem ex glossis in Iuvenalem Parisinis ab Henrico Keil Halis 1876 editis[2]) enucleare possumus. Priusquam igitur de p agere pergamus, pauca de istis glossis addere liceat.

II. De glossis Parisinis.

Hae glossae, numero fere CCL, ex variis collectionibus compositae videntur. Nam glossis ex Iuvenale sumptis intermixtae sunt glossae aliorum scriptorum, velut Plauti, Terentii, Vergilii, Horatii, Ovidii, Plinii.[3]) Accedit, quod ordo alphabeticus iterum atque iterum interrumpitur. Multo plurimae sunt glossae Iuvenalianae.

Nonnullis locis interpretatio ad falsum verbum scripta est, velut p. V, 20 (V p. 652, 30 G.) *Artaxata genus vestis peregrinae* ad *bracae* (II, 169) quin referenda fuerit non est dubium.[4]) p. V, 36 (V p. 652, 44 G.) *Beronices lapis est optimus et pretiosus, de quo calices reges habent* (VI, 156 adamas)[5]). p. V, 38 (V p. 652, 45 G.) *Bocchar oleum pessimum Tripolitanum* (V, 90). p. VI, 5 (ib. 50 G.) *Masca faciem habet cristatam* (VI, 421 cf. v. 422). — p. VII, 9 (V p. 653, 30 G.) *Capella genus teli est* (V, 155 iaculum).

Haec confusio inde explicari potest, quod in codice archetypo scholia in margine adscripta erant, deinde cum inter lineas notae adderentur, ad falsum verbum referebantur.

Quodsi et lectiones et interpretationes harum glossarum cum eis comparamus, quae in codicibus Iuvenalianis inveniuntur, mira

---

(Schediasma de scholiorum ad Iuv. genere deteriore p. 4), quamquam de Cornuto Persii commentatore rectius iudicavit.

1) 'Die Disticha Cornuti und der Scholiast Cornutus' Straubing 1888 p. 47 extr. Sed cum Cornutum Iuvenalis una cum Persii commentatore tractet, argumentatio parum perspicua et simplex fit.

2) Ex codice Parisino 7730 saec. X. Repetuntur in Goetzii glossariorum corp. vol. V p. 652 sq.

3) Keilium nonnullas glossas falso auctori attribuisse iam H. Wirz demonstravit (Philolog. Anz. X p. 479). Addere liceat p. V, 23 K. (V p. 652, 32 G.) 'at si dematon cefalen su' cf. schol. Paris. ad Iuv. VI, 16. — p. XI, 33 (V p. 656, 21 G.) 'Ergenna sacerdos.' cf. Pers. 2, 26. — p. XII, 15 (ib. 41 G.) 'Rabula rabidus' Iuv. IX, 4. cf. schol P.

4) Eadem interpretatio in scholiis codicis Lugd. 82. cf. Hosius l. c. p. 95.

5) cf. G. L. K. VII p. 543, 5 .... exinde pretiosae gemmae Bernices appellabantur.

est mixtio recensionum ut ita dicam Pithoeanae et Nicaeanae. Lectiones cum cod. P congruunt hae:

p. V, 10 (V p. 652, 21 G.) *Appi id est alti et nobilis* (VI, 385. *alti* p. O.).

p. V, 19 (ib. 29 G.) *artopta pistor* (V, 72 *artocopi* codd. det.).

p. VII, 7 (V p. 653, 28 G.) *cammarus* (V, 84 *gam.* codd. det.).

p. VII, 11 (ib. 32 G.) *Catthi* (IV, 147 *getis* codd. det.).

p. VII, 14 (ib. 35) *cevet* (IX, 40 *cavet* codd. det.) p cum glossa: *in futurum.*

p. X, 29 (V p. 655, 35 G.) *pugio* (VI, 34 *pusio* recte p. gl. O.).

At Nicaei lectionem sequuntur hae glossae:

p. VI, 10 (V p. 653, 2 G.) *Micale* (V, 141 *mycale* p. O. *mygale* P).

p. VI, 9 (V p. 652, 54) *mero pede* p. O. (VI, 159 *nudo* P).

p. VI, 31 (V p. 653, 19 G.) *Damasippus* (VIII, 147 sq. *Lateranus* P).

p. VII, 21 (V p. 653, 41 G.) *concha* (III, 293. XIV, 131 *conche* P).

Congruunt glossae cum scholiis Pith. sat multis locis; maxime memorabiles adscribam.

p. V, 1 (V p. 652, 13 G.) *Agauem cantionem novam* (VII, 87 *nom. fabulae* glp).

ib. 3 *alveolis discis* (V, 88 *ventribus vel vasis* glp).

p. VI, 28 (V p. 653, 16 G.) *fretillo fimo. pyrgo* (XIV, 5 glp nihil).

p. VII, 21 (V p. 653, 41 G.) *concha . . faba* (III, 293. XIV, 131 glp: *vas pauperum*).

p. IX, 1 (V p. 654, 31 G.) *sestertia i. sex libras habens* (IV, 16).

p. X, 12 (V p. 655, 22 G.) *foricas.* de interpretationibus huius loci cf. Stephan l. c. p. 40 n. 3.

p. X, 26 (V p. 655, 33 G.) *pygargus ovis cum albis clunibus graece dicta* (XI, 138. glp: *pr. avis*).

Sed haud paucis locis eaedem cum glossis p vel Cornuto congruunt:

p. V, 9 (V p. 652, 20 G.) *Anuben Mercurium* (VI, 534. glp: *i. Mercurii*).

p. VII, 17 (V p. 653, 38 G.) *cinomantia canis divinatio* (VI, 551. glp (exta cat.): *cinomantiam dicit.*

p. VIII, 25 (V p. 654, 21 G.) *sandapila feretrum* (VIII, 175. glp idem).

p. IX, 8 (V p. 654, 35 G.) *Subura ultima pars urbis. . .seu platea urbis* (X, 156. glp: *platea est Romae celeberrima.* III, 5 cf. ib. Cornutus XI, 51. 141).

p. IX, 11 (V p. 654, 36 G.) *Sulmona civitas Samnii* (VI, 187. glp: *Samnia.* schol. P: *civ. Tusciae*).

p. IX, 23 (V p. 654, 46 G.) *opicae i. sacrae* (VI, 455. glp idem).

Eodem modo, quo in codice Pithoeano leguntur hae glossae:

p. V, 19 (V p. 652, 29 G.) *artopta pistor* (V, 72).

p. VI, 9 (ib. 54) *mero pede i. nudo* (VI, 159).

p. VIII, 25 (V p. 654, 21 G.) *Sandapila feretrum* (VIII, 175).

p. IX, 23 (V p. 654, 46 G.) *opicae sacrae* (VI, 455).

p. V, 10 (V p. 652, 21 G.) *Appi alti et nobilis* (VI, 385. *Appi* P. *alti* p. cum gl: *nobilis*).

p. X, 29 (V p. 655, 35 G.) *pugio.* et glossa Keilii et codex P habent falsam lectionem, rectam interpretationem (VI, 34 *catamitus puer*).

Videmus igitur eum codicem[1]), ex quo glossae Paris. exscriptae sunt, codici P fuisse simillimum. Notandum, quod glossa Keilii praebet p. XIII, 2 (V p. 656, 28 G.) *ubeta*, idem etiam in codice Pithoeano legi, littera *r* praecedenti verbo *sitiente* addita.[2]) In hoc quoque codice recensio, cuius testis est codex P, fundamentum erat; immixtae fuerunt Nicaeanae recensionis lectiones et interpretationes. Quae huic sententiae obstare videtur, glossam '*Damasippus Lateranus*' non magni momenti puto, quoniam ex scholiis h. l. scimus istam varietatem lectionis esse vetustissimam.

Ut tempus codicis istius definiamus aliquid praesto est auxilii: nam quod codex glossarum saeculo decimo scriptus est et collectio earum ex pluribus conglomerata est, archetypus sat multo tempore antea scriptus fuisse putandus est. Deinde glossa (p. VI, 23. V p. 653, 12 G.) *Filibitina* litteris *s* et *f* inter se confusis demonstrat codicem litteris minusculis fuisse exaratum eis potissimum, quae aevo Carolingorum in usu erant: tunc enim inter se *s* et *f* simillimae fuerunt. Codex igitur eodem fere tempore quo codex P i. ineunte saeculo nono scriptus erat.

Postquam de glossis p earumque affinibus disputatum est, nunc ad correcturas et lectiones varias, quas p praebet, vertamus.

III. De lectionibus variis.

Manus p satis diligenter codicem, de quo glossas exscripserat, contulit: tantam molem variarum lectionum adscripsit vel in genuinum textum inmisit. Tam strenue munere correctoris ille functus est, ut permultis locis quid P praebuerit, diiudicari vix possit. Ac primum quidem omnia ea, quae P imperfecta reliquerat vel omiserat, supplevit.

Saepius P versum spatio deficiente aut aliam ob causam non totum scripserat: I, 35. III, 203. VI, 9. VIII, 1. 2. IX, 5. 82. 97. 99. X, 176.

---

1) Putaverim ex uno codice glossas ortas esse. Certe, ubi novus ordo alphabeticus incipit, non alium codicem adhiberi probatur eo, quod saepe in una eademque littera et Pithoeani et Nicaei traditionem reperimus.

2) Saepe factum est in talibus glossis, ut prima littera omitteretur. In his glossis etiam *S]cauri* (p. VII, 12. V p. 653, 33 G.). In scholio ad XI, 124 lemma traditur *Yenes.* Gl. G. V p. 578, 47 legimus *Secas prop. nomen*, puto *Psecas* (Iuv. VI, 491).

XII, 8. 111. 117. XIII, 69. 165. XIV, 114. 224. 265. 277. XV, 47. 174. XVI, 12. Nonnumquam etiam initio versuum verba omiserat: III, 142. XI, 81. In mediis versibus plerumque brevia verba neglecta erant ut VII, 20 (o). X, 166 (i). XI, 146 (a). 151 (est). XIII, 52 (sed). 86 (in). XIV, 117 (que). XV, 78 (in). 112 (iam). deinde: I, 85 (timor). III, 109 (est neq.). VI, 29 (quibus). 518 (nisi). VII, 217 (autem). XI, 141 (tota). XII, 38 (volens). XIII, 49 (aliquis).

Maioris momenti est, quod p etiam totos versus addidit. P enim tres versus habet, qui in ceteris codicibus non leguntur:

post IV, 141 versus plane erasus est.

post VII, 211 repetitus v. 196, deinde deletus.

post IX, 134 legitur: *gratus eris tu tantum faucis inprime dentem,* versus deinde expunctus est.

Neque quin postremus versus in archetypo codicis P scriptus fuerit, dubium esse potest, neque quin ceteri duo versus in eodem non fuerint: nam alter errore repetitus est, de altero non constat, sed verisimile est. Atqui P alios versus addidit: scil. v. III, 167[1]) et X, 67. Hos versus constat a P additos esse. Neque fieri potuit, ut in archetypo deessent, quippe qui fuerint ad sententiam exprimendam necessarii. Ceteri sex versus a P omissi (V, 91. VI, 307. 558. 559. 632. 633) a p demum suppleti sunt. Quod eo quoque probatur, quod istis versibus omissis sententia minime interrumpitur.

Iam si consideramus duos versus in P temere additos esse, totidem ab eadem manu in margine adscriptos esse, sane iudicandum est, in archetypo codicis P eundem numerum versuum fuisse, quem nunc in P legimus. Quod si ita est, non casu factum est, ut in P versus sat. XVI, 60 in extrema linea extremae paginae extremi quaternionis legatur, sed quod librarius codicem archetypum tam diligenter descripsit, ut totidem in paginam lineis uteretur. Certo ex illa ultimi versus in P condicione colligi non potest[2]), in codice P demum quidquid saturarum post XVI, 60 restabat interisse omnesque Iuvenalis codices ut eodem modo mancos ex P esse descriptos. Sed ideo quod in codice archetypo tot versus erant, ut paginas quaternionesque codicis P totos explerent, non est mirum ultimum istum versum in extremo quaternione legi.[3])

Non igitur est, cur putemus omnes codices ex P fluxisse. Quod non ita esse postea, si de p et recensione Nicaei egerimus, magis apparebit. Hic unum tantum addere liceat.

In codice Voss. 64 s. XI desunt saturae XI et XII totae et sa-

1) Hunc versum cur P primum omiserit, facile est intellectu: versus 166 et 167 uterque in verbum *magno* exit.

2) Ut Beer (Spicil. Iuv. p. 47) fecit, quem secutus est Hosius (App. crit. ad Iuv. p. 51 s.).

3) Quod codex P subscriptione caret in libro quinto, ne miremur: nam in plurimis codicibus nulla subscriptio legitur, adest autem in Voss. 18 et 64 iisque classis deterioris vetustissimis.

turae XIII versus 1—122.[1]) Si summam facias, sunt 208 + 130 + 122, addantur unus versus inscriptionis praepositus saturae XI, unus sat. XII, duo ante sat. XIII, quoniam liber novus incipit. Sunt igitur versus 464. Quod si singulas paginas fuisse undetricenum versuum putamus, sunt sedecim paginae: apparet in archetypo codicis Voss. 64 excidisse quaternionem. Iam numera inde a versu sat. XIII, 123 reliquos versus, adde tres versus saturis praepositos et unum illum[2]), qui post sat. XIV, 1 in omnibus codicibus deterioris classis legitur, invenies summam omnium versuum 696 versus i. e. 24 paginas. Ergo in archetypo Vossiani quoque codicis versus XVI, 60 in ima pagina imus erat. Haec ultimi versus condicio certe non eo nasci potuit, quod librarius codicem P describendum sibi sumpserat, quoniam ipse versus praebet a p in margine additos.

Sed iam veniamus ad ipsas varias lectiones quas p praebet vel correcturis inlatas vel glossis. Negari non potest permultis locis P re vera a p emendatum esse, velut VI, 34. 554. 571. 648 — sed longe superant ii loci, quibus sine causa, quin etiam ineptissime et falsissime mutatus est. Has lectiones cum codicibus deterioris classis congruere iamdudum cognitum est: sed non alienum erit accuratius has similitudines perscrutari ut melius inde qualis sit ista Nicaei recensio intellegatur.

At prius paucis liceat exponere

IV. Quae ratio intercedat inter p et glp.

Et lectiones et glossas ex uno eodemque codice descriptas esse, probatur eo, quod et eadem manu utraeque scriptae sunt, et glossae tam arte cum lectionibus cohaerent, ut ipsas has quasi explicare et defendere videantur. Sufficiant nonnulla exempla.

I, 169 p: *animante tuba.*
glp: *excitante.*
III, 37 p: *quem lubet* (*iubet* P).
glp: *quemcunq. placet.*
112 p: *aulam resupinat.*
glp: *evertit suis delationibus.*
168 p: *negavit.* inde glp: *Camillus.*
V, 116 p: *fumat aper.*
glp: v. 114 (ante) v. 115 (altilis): *fumat.*
VI, 385 p: *alti.* glp: *nobilis.*
474 p: *operae* (i. marg.).
glp: *studii utilitas.*
537 p: *caduceo.*
glp: *festivitate Mercurii.*

1) cf. Hosius l. c. p. 34.
2) Et quod maiorum vitia sequiturq. minores.

IX, 40 p: *cavet.* glp: *in futurum.*
XV, 104 p: *viribus.* glp: *virtutibus.*
XVI, 45 p: *lucernas.* glp: (ponente) *exstinguente.*

Sane hoc quoque fit ut glossae cum lectionibus, quibus adscriptae sunt, non congruant. Partim enim glossae lectionem codicis P explicant, quamquam p lectionem Nicaei adscripsit:

II, 30 *revocabat* P. *admonebat* glp. *revocarat* p.
31 *ipsis* P. *diis* glp. *ipsi* p.
VI, 65 *subito* P. *qui subito arripit quod non potest adipisci* glp. *subitum* p.
238 *ducit* P. *cum digitis tractat* glp. *discit* p.
257 *morebit* P. *aliquis contra illam* glp. *movebis* p.
320 *Saufeia* SP. *Saufeia* glp (v. 322 ipsa). *Laufela* p.
322 *fluctum* P. *pruriginem* glp. *fructum* p.
417 *illis* P. *fustibus* glp. *illius* p.
643 *tragicis* P. *quidquid in fabulis legimus* glp. *vel magicis* p.
VII, 27 *calamum* P. *quo scribebas* glp. *calamos* p.
VIII, 90 *exucta* P. *sicca* glp. *exusta* p.
X, 37 *mediis* P. *theatris* glp. *medio* p.
101 *ius dicere* P. *iudicare* glp. *uis dicere* p.
136 *captivos* P. *qui captivi ex fornice eiciebantur* glp. *captivus* p.
253 *quaerit* P. *interrogat* glp. *quaeret* p.
365 *habes* P. *super te* glp. *abest* p.
XIV, 50 *fecerit* P. *filius* glp. *feceris* p.
152 *quam* P. *quantum* glp. *quae* p.

Ex his locis secernendi sunt, quod p lectionem ab omnibus codicibus diversam praebet: VI, 238.[1]) 257.[2]) 417.[3]) X, 365. XIV, 50.[2]) Ceteris locis quibus distant p et glp, glp habet lectionem codicum deteriorum, P non correcto:

III, 187[4]) *libris* P. *panibus* glp. *libis* nonnulli codices.
IV, 45 *desinat* P. *transmittit* glp. *destinat* codd.
V, 72[5]) *artoptae* P. *pistoris* glp. *artocopi* codd.
VI, 316 *ululantq. Priapi* P. *clamante sacerdote Priapi* glp. *ululante Priapo* codd.
493 *crinem* P. *sic illi matronae videtur* glp. *crimen* codd.
526 *ereptet* P. *i. rependo peragrabit* glp. *crepet* codd.
623 *longa . . saliva* P. *producentia* glp. *longam . . salivam* codd.

1) *Discit* etiam cod. Voss. 18 et 64, sed correcti a manu altera.
2) Haec inter litteras T et S confusio in cod. Pith. saepius occurrit. cf. Beerii Spic. Iuv. p. 14.
3) Facile intellegitur, cur p mutaverit, quamquam metro non aptum sit: super *dominum* scriptum invenit: *sc. canis.* inde fecit *illius.*
4) cf. adnot. ad III, 187.
5) Idem habent Valla et glossa Keilii p. V, 19 (V p. 652, 29 G.).

XIV, 63 *furit* P. *cum fremitu iubcat* glp. *fremit* vel — *at* codd.
XVI, 39 *patulo* P. *antiquo* glp. *vetulo* codd.

Quod si consideramus, videtur corrector primum glossas adscripsisse, deinde emendasse versus. Quod eo quoque confirmatur, quod nonnumquam primum lectionem codicis P recte explicavit, deinde addidit varias lectiones:

X, 73 *turba Remi* P. *propr. Romani* glp. *tremens* p in marg.
245 *senescat* P. sic glp, nam adnotat ad verbum *nigra: pulla, qua utebatur in luctum.* — *vel cant* p.

Iam agamus

V. De ratione, quae sit inter p et Nicaei quae dicitur recensionem.

Ut glp cum Cornuto sic etiam p cum Nicaei codicibus artissime cohaeret. Neque tamen alienum erit singulos codices comparare. Brevitatis causa utor signis ab Hosio adhibitis. Omitto codices R et A. Nam R duobus tantum locis (V, 116 *radentur: praeparabuntur* glp. et VIII, 196 *si: an sic* glp. *sic* R) fere solus cum p congruit iisque accedunt alteri codex H, alteri M. — A congruit hisce locis:

III, 125 nusquam (*nullo loco* glp) A(HL).
VII, 211 nunc pA(H).
VIII, 246 iussus pA(H) manu altera.
X, 37 medio pA(HL).
137 ad hos p (*triumphos* glp) A(LM).

Congruunt p et VB:

II, 84 domo (*procedentes ad bellum* glp) VB(H).
III, 130 aut pVB (*et* codd.).
271 cadent pVB (*cadant* vel *cadunt* cet.).
VI, 120 priapo p(B solus).
222 feceris pVB(H).
238 discit pVB (sed a vb correctum).
539 lacrimis pVB (HL).
VII, 112 verum p(V).
VIII, 118 circis (*theatralibus* glp) VB(M).
IX, 19 utrimque pVB(H).
X, 57 aut p(HLB).
XII, 32 incerto p(HLV).
46 escalia p(HLV).
63 vectores p(HV).
XIII, 212 et p(HB).
XIV, 55 aut p(V).
270 pingui p (*melle* glp) (LV).

Congruunt p et M:

II, 31 ipsi pM.
93 tinctum glpM(LP).

III, 312 dicis pM.
VI, 123 constituit p(*praeparavit* glp)M.
357 domi est pM(L).
VIII, 196 sic pM(R).
XI, 144 frustis pM(L).

Congruunt p et L:

II, 93 tinctum glpL(MP).
III, 187 libis glp(*panibus*)L(AH).
VI, 357 domi est pL(M).
401 strictisque glp(*nudis*)L.
533 linigero pL.
IX, 105 tollito pL(H).
107 secundum pL(H).
X, 37 medio pL(AH).
149 perfusa pL.
XI, 106 et pL.
XII, 57 animum pL.

Congruunt p et H:

I, 1 numquine pH[1]).
76 captum H. *perpotum a vino* glp.
V, 128 sumitve H. *aut quando* glp.
VI, 57 recedo H. *recedo et do tibi* glp.
VII, 223 sedebit pH.
232 sit pH.
VIII, 78 discinderet pH.
115 faciet. libia pH.
123 relinquens pH.
222 iudice H. *preside* glp.
X, 221 Themisus pH.
XI, 91 serenos ph.
XII, 71 novercalis aedes pH.
81 tunc stagnante sinu. pH(V).
XIII, 212 et pH(B).
XV, 22 aut p(H).

Iam vides, quid his comparationibus lectionum consequatur: quoniam p certe ex uno codice descriptus est, quoniam variae lectiones cum in ceteris codicibus tum in codice H inveniuntur, verisimile est, omnes ad unum eundemque archetypum redire, cuius et lectionum et glossarum nobis p imaginem praebet longe optimam. In ceteris codicibus magis magisque obscurata est. Sat memorabiles lectiones codex H servavit, codices autem, quorum in subscriptione Nicaeus nominatur, haud ita bene recensionis imaginem retinuerunt.

Interpretationes omnes fere easdem servaverunt. Saturae tertiae

---

1) Hanc lectionem Hosius neglexit. Cur Beer (Spic. Iuv. p. 22) *vel numquamne* legerit aliique manui ac p attribuerit nescio.

glossae interlineares, quas Schopen edidit, omnes fere etiam in p leguntur. De scholiis marginalibus unum tantum exemplum eligo. In cod. P a manu p ad versum I, 3 scholion scriptum est, quod eisdem fere verbis etiam in codice Laur. 52, 4 legitur, hoc: Togatas romanos significat, qui omnes toga utebantur, unde et (togatae dicuntur romani quod toga uterentur omnes viri et mulieres, unde. L) togatam gentem legimus . . . Comoediae vel (vero ut L) tragoediae quae a latinis scriptae sunt, togatae ideo dicuntur, quod praeter vestis ipsius usum numquam (etiam L) a senatoribus agebantur (utebantur L) diebus sacris. Graecae etiam (sicut etiam Graecae L) comoediae vel (et L) tragoediae palliatae dicuntur sive a vestis ipsius usu sive (etiam add. L) quia ita (illas L) plerique (plerumque L) viri nobiles egerunt (egere L). Latinas autem (nam lat. L) legimus egisse (legisse L) Lentulum et Roscium nobiles (homines add. L).

Vides ex corruptelis utriusque codicis, scholiorum fuisse eandem recensionem.

Ex codice H nonnullas glossas cum glp conferamus, quia ex eis apparet, quam arte p et H inter se cohaereant.

I, 1 tantum: *debeo esse.* H nihil habet.
numquamne: *vel numquine* (in H in textu legitur).
reponam: *rescribam* (p). H: *r. i. scribam* (in marg.).
2 Vexatus: *laceratus. provocatus vel commotus* (p).
laceratus provocatus (H).
rauci: *ex nimia recitatione vel male canentis* (p).
eximia (sic) *rec. vel m. c* (H).
4 hic: *alius* (pH).
elegos: *miserorum carmina* (pH).
impune: *sc. impune recitaverit* (p).
sine causa (H).
diem c. i.: *enormitatem fabulae reprehendit* (p).
enormitatem H.

Hae sufficiant: cognoscere licet, etiam glossarum unum eundemque fuisse codicem; cf. imprimis v. 4 s. v. diem.

Si has similitudines et glossarum et textus consideraverit, nemini dubium fore puto, quin omnes hi codices ad eundem archetypum redeant neque ex P descripti esse possint. Quin longius progrediar: hic codex, quem ex p ceterisque codicibus restituere licet, optime omnium recensionem alteram Iuvenalis repraesentat, quae Nicaeo attribuitur. Neque mihi obstare videtur qua Epicarpius et Exuperantius nominantur subscriptio codicis H, quem simillimum omnium esse supra demonstravimus: neque enim H singularem recensionem praebere ex quaestionibus, quas Hosius (l. c. p. 64 sq.) instituit, apparere videtur.

Codex igitur Nicaei tantum a genuino Iuvenale distabat, ut paene novum poetam legere tibi videaris. De tempore Nicaei qui egerunt omnes ex subscriptione ista: *Legi apud Servium magistrum*

Romae et emendari initium fecerunt Serviumque Vergilii commentatorem intellexerunt. Nicaeus igitur circa a. 400 vixisse putandus est. Quod Hosius confirmavit eo, quod testimoniis grammaticorum inquisitis statuit lectiones Nicaei apud Priscianum primum legi, apud Servium nusquam; igitur saeculo quarto Nicaeum tribuendum esse. Quod mihi, si textum scholiaque istius recensionis perscrutamur, etiam clarius evinci posse videtur.

V. De Nicaeo.

In scholiis enim conscribendis Nicaeus maxima ex parte Servium secutus est. Luculentissma exempla affero.

XII, 6 Scholia Nicaei: *non taurus Iovi sacrificatur. ideo commisit Aeneas in Thracia piaculum* (Aen. III, 21) cf. Serv. ad V. Aen. III, 21 'Contra rationem Iovi taurum sacrificat, adeo ut hinc putetur subsecutum esse prodigium. ubique enim Iovi iuvencum legimus immolatum, ut . . . (IX, 624). idem Iuvenalis . . . (XII, 9). nam in victimis etiam aetas est consideranda.' Haec mira relatio facile explicatur, si putamus Nicaeum, cum Iuvenalem adnotaret, Servii commentarium ob oculos habuisse. Similis relatio invenitur I, 2 Theseide: *nom. possessivum ut Aeneide i. e. fabula Thesei.* Servius praef. p. 4: 'Titulus est Aeneis, derivativum nomen ab Aenea, ut a Theseo Theseis, sic Iuvenalis . . . (I, 2)'.

I, 3 *Togatas Romanas significat, qui omnes toga utebantur, unde et togatam gentem legimus* (V. Aen. I, 282). *Hoc autem distat inter servos et dominos, quod servi non utebantur colobiis et nigris calceis sed albis.*[1]) Servius V. Aen. I, 282 'gentemq. togatam bene gentem quia et sexus omnis et codicio toga utebatur: sed servi nec colobia nec calceos habebant'.

I, 20 per quem: *satyrica licentia se comparavit aurigae . . . sicut Vergilius finiturus librum* (G. I, 512) *translationem sumpsit ab equis . . .* Sic Servius ad h. l. praecepit: . . 'sane sciendum *translationem* hanc esse, non comparationem'.[2])

II, 124 interpretatur segmenta: *monilia.* Auctor huius confusionis est Servius, qui ad V. Aen. I, 654 explicat: *monile ornamentum gutturis, quod et segmentum dicunt,* locis Iuvenalianis (II, 124. VI, 89) adhibitis.

III, 190 ad verbum *Praeneste* paene verbis Servii (Aen. VII, 678) usus est.

IV, 122 ad velaria raptos: *superiores partes theatri . . . quo rapiebantur pueri stuprandi* (glp). Hanc verbi *rapere* interpretatio-

1) Similia traduntur ad I, 111. VIII, 49 (legitur . . . *calceos tinctos non habebant*).

2) cf. etiam schol. Cornuti ad XVI, 47 (Hoehler p. 27) lenta harena: . . . *est translatio ab his, qui per arenam currunt* . . .

nem sumpsit ex Serv. ad V. Aen. IV, 198: rapta: *stuprata.* cf. ad Aen. I, 28.

IV, 123 oestrum: *i. musca, quam rustici asilum vel tabanum vocant* (cf. Hosius p. 97). Serv. V. G. III, 148 'oestrum autem graecum est, latine asilus, vulgo tabanus vocatur.'[1])

XII, 2 caespes: (Hoehler p. 8) . . *est autem caespes terra cum propria herba evulsa:* idem Serv. ad V. Ecl. I, 68.

XII, 8 spargendusq. mero. (Hoehler p. 9) *nam deinter cornibus tauri pili evellebantur et vinum ibi fundebatur, ut probaretur, utrum placeret si patiens esset. Virgilius* . . . (VI, 244) cf. Serv. ib. . . 'Haec autem (fundere et vergere) pertinent ad victimarum explorationem, ut si non stupuerint, aptae probentur.' cf. ad V. Aen. IV, 61.

XII, 64 (Hoehler p. 11) *Parcae dicuntur fata a contrario, quod nulli parcant. Quae in adversitate nigra, in prosperitate candida fila trahere dicuntur.* — cf. Serv. ad V. Aen. I, 22. 'Et dictae sunt P. κατὰ ἀντίφρασιν quod nulli parcant . .'

Restat locus, quo Servius expressis verbis nominatur, XVI, 1. *Quidam dixerunt hanc saturam non esse Iuvenalis sed appositam ab aliquo. Sed Servius verbum illius ad exemplum adducens ostendit esse Iuvenalis* (Aen. II, 102) *ubi dicit:* (XVI, 42) Iam si contemplamur istos locos, mirum invenimus consensum. Serv. ad V. Aen. II, 102 *uno ordine: et est de antiqua tractum scientia: quia in ordinem dicebantur causae propter multitudinem vel tumultum festinantium, cum erat annus litium. Iuvenalis* . . . . (XVI, 42). cf. Schol. Nic. ad Iuv. XVI, 42: *Romani singulis annis lites discutiebant, et singula per ordinem agebant. Id autem propter multitudinem festinantium atque tumultum.*

Haec exempla sufficiant: ea maxime elegi, quae demonstrant utrumque interpretem alterius poetae locum in animo habuisse. Numerus magis augeri posset, si totus Cornutus praesto esset. Scholia ex Servio sumpta esse vix erit, qui neget. Accedit, quod doctrina, ut ita dicam, orthographica Servii a Nicaeo recepta esse videtur. Servius (ad Aen. VI, 104) sic praecepit:

'Nihil vero pro metri necessitate cogitur. Nam si pars sequens orationis a vocali inchoat, nihil dicimus, ut . . . (II, 402). Si autem a consonante inchoet, nil ponimus, ut Iuvenalis . . (IV, 22)'[2]).

Haec regula, qualis a Servio usurpatur, vix recta esse potest, quoniam quibusdam versus locis — in initio et fine — semper *nil* scribendum est. Sin perlustramus locos Iuvenalianos, quibus et *nil*

---

1) cf. glossa Goetzii V p. 169, 17 *Asilus quem graeci oestrum, rustici tabanum appellant.*

2) Haec doctrina alibi non invenitur; e contrario Cornutus G. L. K. VII p. 153, 7: *Vehemens et vemens* apud antiquos et apud Ciceronem lego, aeque . . . *nihil et nil.* Haec observari eatenus poterunt consuetudine potius quam ratione, in his praecipue verbis quae aspirationem habere debent (= p. 159, 18. 311, 26).

et *nihil* scribi potest, codices deteriores omnes uno consensu a Servio stant. Sunt hi: VI, 58: *quis tamen affirmat nil actum* . . . . ubi *nihil* omnes praeter B.

VII, 54 *qui nil expositum* . . . omnes cod. *nihil*. *nil* P solus.

XV, 88 *Sustinuit nil unquam* . . . *nihil* cod. praeter MH.

Tale quid nisi a discipulo in verba magistri iurante non fieri apparet.

Nicaeus igitur, fortasse a magistro Servio iussus — illo enim tempore Iuvenalis multum lectitabatur — et adiutus Iuvenalem recensuit et adnotavit. Recensionis imaginem nobis egregiam praebet p. Scholia ea sunt, quae in quibusdam codicibus Cornuti nomen prae se ferunt. Sane non putem ista scholia sic, ut nunc leguntur, a Nicaeo conscripta esse. Fieri non potuit quin multa inepta insererentur, egregia omitterentur, praesertim cum Iuvenalis a temporibus Servii Priscianique omnium in manibus esset.[1]) Quod si ita res se habet, non est dubium, quin Cornuti nomen falso additum sit quasi interpretis κατ᾽ ἐξοχήν Persii Iuvenalisque — sicut etiam Probus — neque recte fecerunt Iahnius et Liebelius, qui 'Cornutum' re vera exstitisse putabant studebantque demonstrare.

Restat, ut pauca addam de versu isto extremo Iuvenalis. Num iam in codice Nicaei quae sequuntur post XVI, 60 defuerint, pro certo explorari nequit. Nostros codices ut eodem modo mancos ad unum idemque exemplar redire nemo negat. Id non fuisse exemplar Nicaei, demonstrat codex Pithoeanus, nam recensio Pithoeani praeter Nicaeanam et ante fuit. Sed mea sententia id exemplar Iuvenalis, quod ex saeculo II usque ad saec. IV, quo Iuvenalis revixit, servatum erat, nescio quo casu mutilatum erat. Quod mihi confirmasse videtur scholion ad XVI, 1 *Ista a plerisque exploditur et dicitur non esse Iuvenalis.*[2]) Cur plerique offendebant? Ideo, quod satura mutila fuit, nam nescio quid aliud in hac satura offendere possit ita, ut eam non esse Iuvenalis dicamus.

Haec postquam praefatus sum, ipsas glossas edam. Haud ingratum fore puto, quod adnotavi, quid ex Cornuto, quid ex Scholiis Pithoeanis sumptum sit, qui fons fuerit, quid ex Iuvenale in glossariis inveniatur.

---

1) In 'Panormia' quae dicitur Osberni (Mai. Cl. A. VIII) Iuvenalis saepissime citatur, satis corruptus. Notandum pluribus locis interpretamenta cum Cornuto congruere, cum Schol. P fere nusquam.

2) cf. Cornutum supra p. 19.

Glossae in Iuvenalem Pithoeanae.

Sat. I.

1 *tantum:* debeo esse.
numquamne: uel numquine.
reponam: rescribam (man. rec.).

2 *vexatus:* laceratus, prouocatus, uel commotus.
rauci: ex nimia recitatione uel male canentis.
theseide: nomen fabulae (man. rec.).

4 *hic:* alius.
elegos: miserorum carmen.
impune d.: i. impune recitauerit.
consumpserit i.: enormitatem fabulae reprehendit.

5 *summi:* ultimi.

6 *et in tergo:* quod prolixa omnis dictio odiosa est.
Orestes: i. fabula orestis uel tragoedia.

8 *Martis:* i. fabula Martis.
aeoliis v. r. a.: aeolia patria uentorum ubi est antrum lucani (*sic*) Aethna mons.

9 *quid agant:* notum est mihi.
umbras: animas.

10 *unde alius f. d.:* Iasonem significat de colchis pellem auream sustulisse.

11 *monychus:* quasi monosonichus.

12 *platani:* per platanos uiridarium intelligimus.
convulsaq.: clamore recitantium poetarum.

13 *semper:* s. tacebo.
et: ego (marg.).
ruptae l. c.: plene resonantes quia intercolumnia disputabant.

14 *expectes:* de isdem historiis omnes dicunt sed ego nolo ita agere.
poeta: perito et imperito bono et malo.

15 *nos ergo m. f.:* et nos dicimus (*sic*) et grammaticum audiuimus.

16 *consilium d. S.:* persuasimus ut deponeret dictaturam.
privatus: dictatura.
altum: pro alte. secure.

Cornutum huius saturae edidit Gigchius (App. crit. in Iuv. II p. 18).

1. *numquine:* sic lectio cod. Par. 9345.

2 Cornutus (in codice P): *nomen possessivum, ut Aeneide i. e. fabula Thesei.* cf. Serv. ad V. Aen. praef. p. 4: 'Titulus est Aeneis, derivativum nomen ab Aenea ut a Theseo Theseide, sic Iuvenalis: 'vexatus ... Codri'.

8. cf. Cornutus (cod. P): *Potest distingui et antrum Vulcani et Vulcani venti i. folles .....* Schol. P habent hanc interpretationem *(Vulcani venti pro follibus posuit)*, glp illam. cod. Paris. eandem glossam habet, nisi *ibi* praebet et recte *Vulcani.*

11. cf. Cornutus (in codicibus P et Voss.) *m. unus centaurorum fuit sic dictus quod unam tantum ungulam habuit.* item gl V p. 653, 3 *Monichus centaurus.* at Corn. i. cod. Laur. 52, 4: *M. autem gigas a magno ungue propter excellentiam* ὄνυχος. cf. etiam schol. Bern. ad Luc. VI, 388 (p. 203 Us.) *graeci* Μώνυχον *quod una sit eius ungula.*

13. *ego* praebent codd. H (ẹṭ, superscr. ego) et V (~~ego~~ &). lege *per intercolumnia.* cf. Cornutus (cod. P) *poetae ... recitabant per intercolumnia. per* deest etiam in cod. Par.

16. Cornutus: *Sulla et imperator fuit et dictator, qui accusatus*

17 *stulta c. cl.* non est stulta clementia si homini parcas, sed si parcas periturae rei.
18 *parcere:* i. non scribere.
20 *equos:* cursum carminis Tusci.
flexit: seruat metaphoram.
21 *vacat:* audiri.
placidi: propicii.
edam: proferam i. manifestabo uobis.
22 *tener:* i. mollis quia filios generare non potest.
mevia: nomen uenatricis.
26 *pars:* plebeius.
verna: seruus dominicatus.
27 *tyrias:* purpureas.
lacernas: lacerna genus uestis uirilis quae et recinnum a reiciendo dicitur.
28 *ventilet:* luxuriae genus est alios anulos hieme alios aestate gestare.
30 *difficile est:* ab inferioribus iungendum.
iniquae: apud quam multae iniquitates sunt.
31 *tam patiens n.:* nimium uitia sufferens non carpendo illa.
teneat se pro: a scribenda satyra. (a scribendo. man. rec.).
33 *pleno:* quia pinguis erat.
post hunc: ueniat.
delator a.: proditor Domitiani.
34 *rapturus:* ipse Heliodorus.
comesa: per proscriptionem a Nerone, qui nobiles peremit.
35 *superest:* de gladio Neronis.
Massa: proprium.
quem: Heliodorum.
palpat: placat. Massa.
36 *Carus:* amicus.
trepido: sc. quem timet.
Thymele: uxor Latini.
summissa: supposita ad rogandum.
37 *cum te:* o pupille (man. schol.) apostropham facit ad quemque clientem.
summoveant: a testamento excludant.
testamenta: sc. hereditatum uestrarum.
38 *noctibus:* nocturnis operibus.
quos vehit: exclusis propinquis adulteri instituuntur heredes.
optima: yronicos pessima.
summi: uoluptatem dicunt esse summum bonum (man. rec.).
39 *via proc.:* libido felicitatis i. a procedendo quos uehit ardor libidinis.
vaesica: uidua.
40 *deuncem:* pro merito sui laboris.
41 *quisque:* corruptorum.

---

cum coepisset odio esse Romanis accepit consilium ab amicis et a Iuuenale, ut dignitate deposita officii securus uiueret.

20. *Aurunca Italia* glossa Iuvenaliana V p. 652, 34. cf. Probus Vallae *L. dicit ut sit Aurunca pro Italia synecdochicos exposita*... Cornutus: *Luci[li]um satiricum dicit, qui fuit Auruncus i. Tuscus.*

ad 26. gloss. Iuven. V p. 653, 29 *Canopus locus amoenus Aegypti.*

27. *lacernas.* cf. Serv. ad V. Aen I, 282 ... *Recinus autem dicitur ab eo quod post tergum reicitur* (ex Varr. l. l. V, 132). inde gl V p. 525, 41. Isid. Or. XIX, 25, 4.

28. Simile interpretatur Schol. P ad h. l.

34. cf. Schol. P. Inde Cornutus (Gigch. II p. 21. Cramer p. 577).

36. *Thymele uxor L.* cf. Cornutus ap. Cram. p. 577. eadem interpretatio in scholio edito in Class. Journal VI p. 456.

41 *mensuram:* ut quisque laborauit.
inguinis: ueretri.
42 *sanguinis:* stupri (man. rec.).
43 *palleat:* exsanguis nimio coitu pallet.
calcibus: pedibus.
44 *aut:* sicut pallet.
dicturus a. a.: disputaturus in templo.
45 *quanta:* prae.
iecur: meum scil.
46 *comitum:* suorum.
spoliator: adulter.
47 *prostantis:* infamis.
et: at.
hic d.: pupillus est.
48 *quid e.:* adulterium sc. nocet.
infamia: ex persona illorum.
49 *exul:* ab Africa.
octava: hora (manu schol.).
bibit: nam qui iudicio uocabant Marium, comedebant.
iratis: quia damnatus est pro pecuniis repetundis.
50 *victrix:* aliarum prouinciarum. Africa.
ploras: illo bibente luges.
51 *haec:* sc. talia.
credam: nonne scriptis persequar.
52 *agitem:* non persequar.
53 *Diomedeas:* fortia facta Diomedis.
53 *mugitum:* per echo resonantem.
Labyrinthi: ut Minotauri.
54 *mare:* ubi Icarus cecidit.
puero: Icaro.
fabrum: Daedalum.
55 *leno:* pro consensu stupri.
si c.: eum pro siquidem.
56 *ius n.:* potestas est. hoc est aliud.
spectare: ille leno.
57 *vigilanti:* sollicito.
stertere: runcare.
58 *curam s. c.:* militat moechus.
59 *praesepibus:* lupanaribus.
caret: pauper effectus.
60 *maiorum c.:* substantia patrum.
pervolat: discurrit.
axe citato: curru ueloci.
61 *Flaminiam:* uia est Romae (man. rec.).
tenebat: Automedon.
62 *ipse:* Nero.
lacernatae: ipsi puero lacerna induto.
63 *ceras:* tabulas.
64 *sexta c. f.:* i. lectica quae a VI uiris fertur uel trahitur.
feratur: signator.
65 *patens:* ad uidendum.
nuda p. c.: in disco aperta lectica.
66 *supino:* superbo.

---

43. palleat: eadem interpretatio apud schol. ad h. l.

47. *at* sic codices deteriores.

48. cf. schol. P: *subauditur nocet.*

49. *bibit:* cf. schol. P. *qui iudicio vacabant, decima hora cenabant, hic enim ab octava.* apparet interpretationem glossae fluxisse ex falsa lectione *vocabant.*

52. schol. P: *persequar.*

54. cf. schol. P.

62. ipse: *Nero* cf. schol. P: *...ea re Neronem tangit.* Panormia Osbernii (Mai cl. auct. VIII p. 318 cf. p. 327): *lacernatus i. pallio indutus, unde idem Iuvenalis ipse l. c. s. i. a.*

63. *ceras tabulas imagines* gl. V p. 445, 44. 626, 58.

64. *sexta c.* cf. schol. P: *lectica enim...a sex hominibus portabatur.*

66. cf. schol. P: *supino superbo vel mortuo.*

67 *lautum:* delicatum.
beatum: diuitem.
68 *gemma uda:* sigillo. saliua tacto.
69 *occurrit:* cogitationi. menti meae.
Calenum: uinum a loco.
70 *viro:* suo.
sitiente: proficienti.
71 *instituit:* docet maleficia.
melior: pro non doctior.
Lucusta: proprium nomen ueneficae (man. schol.).
72 *per f. e. p.:* melior per famam populi.
nigros: uestigio ueneni liuidos et mortuos. uxores nouellas.
74 *aliquid:* i. magnus.
probitas: bonitas.
laudatur: solummodo.
alget: deficit, torpet.
75 *criminibus d.:* i. suis criminibus computant.
76 *vetus:* insigne.
stantem: i. abstinentem.
caprum: perpotum a uino.
77 *quem:* poetarum.
corruptor: adulter.
78 *quem:* sc. poetarum.
turpes: sciunt dormire.
praetextatus: praetexta indutus.
79 *negat:* ingenia et scientiam.
facit i. v.: satiram scribere quae indignari debet uitiis.
80 *quales:* uersus facio.
Cluvienus: facit. prop. nom. poetae (*p. n. p.* man. schol.).
81 *nimbis t. ae.:* i. diluvio terras inundante.
82 *montem:* Armeniae uel Parnasum Boeotiae.
sortesq.: oracula siue responsa.
83 *paulatimq.:* postquam.
84 *et:* et postquam.
maribus: i. uiris.
85 *votum:* quod est.
86 *farrago:* i. materia.
87 *uberior:* fuit uel erit quam nunc est.
88 *maior:* quam nunc.
89 *animos:* dedit.
loculis: i. sacculis.
90 *posita:* de.
luditur: a diuite.
arca: nummorum.

---

68. Schol. P: *saliva tacta propter signaculi impressionem.*

69. gl. V p. 653, 27 *Calenum vinum ab oppido Calibus* fusius Cornutus (Gigch. II p. 20): *Cales oppidum Campaniae, ubi nascitur optimum vinum, unde bonum vinum Calenum dicimus.* Aliud scholium ad h. l. editum in Classical journal VI (a. 1810) p. 456 ex Valerio Maximo (I, 8 ext. 18) nonnulla de Calibus addit.

70. legit p, quod nullus codex habet, *sitienti*, sed non in textum intrusit. In cod. P. sic scribitur *sitiente rubeta*. Inde glossa V p. 656, 28 *ubeta: terrestris rana.* Schol. P: *rubeta rana est* .... Idem habet Panormia Osbernii (Mai C. A. VIII p. 500): *haec rubeta i. rana unde Iuvenalis: miscet sitiente rubeta.*

72. cf. Cornutus (cod. Laur. 52, 4) *p. f. e. p. endiadiu* (sic) *i. per famam populi nigros mortuos. uxores novellas:* fortasse verbo *propinquas* (v. 71) adscriptum per errorem huc irrepsit. cf. Schol. P: *propinquas dicit tamquam a Lucusta doctas. quidam uxores dicunt.*

76. In cod. Paris. scriptum legitur *captum*, inde haec mira interpretatio *perpotum* et *abstinentem*.

78. *praetextatus.* Schol. P: *puer qui adhuc vir non est.* cf. glp X, 35 *praetexta: puerorum vestis* (Panormia p. 484) ex Cornuto (Gigch. II p. 26. Cramer p. 605): *Praetexta erat genus togae qua utebantur pueri etc.*

82. gl. V p. 654, 32 *sortes: responsa.*

91 *proelia:* contentiones.
illic: in illo ludo.
92 *simplex:* sc. est dementia uel stultitia modica.
centum: sc. nummorum.
93 *perdere:* in ludo aleae.
tunicam: quam ei debes propter seruitium.
94 *erexit:* composuit, aedificauit, scil. quot tu.
95 *secreto:* et non in publico.
avus: i. maior.
96 *parva:* causa paruae gloriae uel uanae.
rapienda: distribuenda.
97 *ille:* qui erogat.
faciem: intrantis et accipientis.
98 *suppositus:* subintroductus fraudulenter.
99 *accipies:* partem obsonii.
105 *arguerint:* ostendunt, scil. quod sum manu missus i. licet si ignobilis sum tamen diues.
106 *quadringenta:* nummorum milia.
107 *si:* pro siquidem.
custodit: ad pretium quod utique non ageret, si diues esset.
108 *Corvinus:* nobilis genere sed pauper.
ego: libertus diues.
109 *expectent:* dum prior accipiam in conuiuio.
110 *sacro:* uenerabili.
cedat: liber, qui prior uenit.
112 *inter nos:* inter Romanos.
113 *funesta:* cruenta per furta et parricidia congesta.
114 *nullas:* etsi.
nummorum: diuitiarum.
ereximus: ut colaris.
115 *ut:* quem ad modum.
116 *quaeque:* et ut colatur (sic).
117 *summus honor:* consul. consulum.
118 *rationibus:* quantitati expensae.
119 *comites:* illorum.
hinc: ex substantia domini (dn̄i).
toga: uestis.
calceus: calciamentum.
120 *fumus:* lignum ad focum faciendum.
densissima: inuehitur in alias.
121 *quadrantes:* species nummi.
122 *circumducitur:* circa multa loca ducitur.
123 *hic:* alius maritus.
absenti: cuilibet nobili uxori sestertia.
arte: calliditate. fraude.
124 *sellam:* i. lecticam.
125 *Galla:* proprium nomen est.
dimitte: eam. dando ei aliquid.
126 *noli:* uox petentis.
quiescit: sc. Galla. i. dormit.

---

99. Cornutus (Gigch. II p. 29): *Agnitus inquit, quodsi ex numero divitum et ad se pertinentium accipies partem obsonii.*

106. *sestertia* addidit manus rec.

113. cf. schol. P: *quoniam per scelera adquiritur, .. quod per parricidia congeritur.*

114. *colaris,* nam p cum ceteris codicibus mutavit *habitat* in *habitas.*

117. Schol. P interpretatur: *i. senatorum.* Confudit utramque interpretationem schol. cod. Laur. 52, 4: *consulatum dicit i. nobiles senatores.*

119. *substantia* hoc sensu ante Italam non usurpatur (cf. Roensch It.[2] p. 325) in his glossis ubique.

126. *quiescit* p cum ceteris codicibus.

127 *distinguitur:* disponitur.
ordine: uarietate.
128 *sportula:* aditur.
Apollo: i. templum illius.
129 *triumphales:* statuae (man. rec.).
ausus: est.
130 *titulos:* imaginem suam.
arabarches: arabiae princeps.
131 *cuius:* Egypti.
effigiem: statuam.
megere: cacare.
132 *vestibulis a.:* a porticibus diuitum recedunt, dum diuites tardi recedunt.
133 *vota:* cenae diuitis.
quamq. l.: quamquam diu expectauerunt.
134 *homini:* clienti.
miseris: sunt. dolendo diem.
135 *silvarum i. p.:* uenationum diuersa genera et piscium.
137 *de tot p.:* in quibus cenabant eius maiores.
orbibus: i. discis.
138 *una:* in.
comedunt: gulosi facti.
patrimonia: sua.
140 *luxuriae:* ingluuie.
quanta: quam magna.
gula: est. unius hominis.
141 *animal:* aprum dicit.
natum: quod est.
142 *amictus:* uestimenta tua.
143 *crudum:* nondum confectum, indigestum.
144 *Hinc:* ex illa inconfectione.
145 *nova:* i. subita.
tristis: quia intestatus deficit.
fabula: tu es.
146 *iratis:* ab.
plaudendum: laetandum.
147 *erit:* deinceps.
moribus: prauis.
148 *facient:* filii nostri, ea quae modo facimus.
minores: filii nepotes nostri.
149 *in praecipiti:* in abrupto.
utere velis: o satira. distinctionis scil. satirice.
150 *pande:* mihi, o satira.
dicas: pro dicit aliquis.
151 *ingenium p. m.:* tibi, o Iuuenalis. aequale sufficies.
unde: uenit tibi.
priorum: poetarum.
152 *flagrante:* indignante.
153 *simplicitas:* libertas. similiter enim absque timore omnes reprehendebant.
cuius: simplicitatis.
154 *refert:* prodest.
155 *pone:* in redargutionem.
taeda: flamma.
lucebis: ardes (man. rec.) qui eum posuerit. *marg.:* uel lucebis. tigilinum vilem hominem dicit.
156 *qua:* ubi.
fixo: a palo.
pectore: uel gutture.

130. *arabarches a. p.* idem habet iam schol. P.

132. cf. schol. P: *dum diuites tarde recedunt, clientes expectant.*

135. de verbo *venatio* hoc sensu (Wildpret) usurpato cf. Roensch It. p. 327.

143. *crudum* p cum ceteris codicibus. Schol. P: *turgidus: indigestus.*

149. *distinctionis.* idem schol. P: *distinctionis dicit, hoc est saturae scribendae* iamdudum a Schopeno ex Vallae Probo *velis dictionis et saturae* correctum.

155. *lucebis* sic p cum plerisque codicibus. *lucebit* P, quod prima glossa interpretata est. Deinde varia lectio margini adscripta et verbum *lucebit* correctum est. — De Tigellino eadem leguntur in codice Sang.

156. *gutture* lectio codicum quorundam classis deterioris.

157 *et:* qui.
158 *tribus p.:* pluribus propinquis.
aconita: uenena.
159 *pensilibus:* mollibus.
illinc: de alto uehiculo.
160 *contra:* te.
compesce l.: tace. tuum.
161 *accusator:* dicitur non ueridicus sed accusator r. p.
hic est: dicitur de eo.
162 *licet:* licitum est.
Rutulum: Turnum.
163 *committas:* satirae.
nulli g. e.: videtur graue, si de Achille scribas, id est mortuo quolibet.
164 *quaesitus:* per echum.
urnamq. s.: per mortem.
165 *stricto:* nudato.
Lucilius a.: satiricus. irascens.
166 *infremuit:* indignando et reprehendo (*sic*).
rubet: uerecundatur tactus scientia.
frigida: timida. conscia criminum.
167 *tacita..c.:* quia nemo notat culpam.
168 *inde:* ex reprehensione illa.
tecum p.: sibi loquitur poeta.
voluta: considerata (*sic*).
169 *haec:* quae dicturus est.
animante: excitante.
galeatum: militem.
170 *experiar:* approbabo.
quid: ultionis.
concedatur: loqui.
illos: mortuos.
171 *Flaminia:* uiae sunt Romae.
cinis: busta.

Sat. II.

1 *Sauromatas:* ////////// gentes.
3 *Curios:* feritatem Curiorum.
4 *indocti:* imperiti quod alios damnant et se coinquinant.
gypso: gypseis imaginibus.
5 *Chrysippi:* philosophi.
6 *Aristotelem:* pro Aristoteli.
Pittacon: statuam Pittaci.
7 *archetypos:* principalis tipi. principales figuras sapientium.

---

158. *aconita.* Cornutus (Gigch. II p. 36) permulta exhibet, sumpta ex Servio (V. Ge. II, 152). *aconita venena* vel *genus veneni* talequid saepissime in glossariis. *aconitum genus asperrimi veneni. Iuvenalis q. d. e. t. p. a.* Osberni Panormia p. 55.

159. *pensilis i. levis unde Iuvenalis: v. p. p* ib. p. 445.

169. *animante* lectio codicum deteriorum. cf. Cornutus (Gigch. II p. 37): *animante i. e. excitante vel cohortante primipilario exercitum: sero poenitet duelli militem galeatum e. q. s.*

Cornuti ad hanc saturam commentarii frustula habes apud Cramerum p. 583 sq. et Hosium p. 95.

1. sub rasura legi potest: Scut . . . s fortasse *Scythicas.* cf. sat. III, 79 et Cornutus ib. *Sar.: Scythiae gentes.*

7. *hic archetypus i. princeps figurarum, unde Iuvenalis: et iubet a. p. s. C.* Osberni Panormia p. 24 et p. 582. Verbum *Cleanthas* respicit glossa V p. 521, 24 *Cleanthas armarium seu bibliotheca grece celeptes vel fur.*

8 *frontis:* in uultu quia simulate omnia aguntur.
9 *tristibus:* seueris in uultu et actu.
castigas: ó imperator, illos qui turpia agunt.
10 *cinaedos:* cinedi sunt molles euirati ministri matris deuer siue stupratorum. dicti a cane, nam cinos dicitur canis.
11 *hispida:* hirsuta.
membra: philosophorum.
setae: pili.
12 *promittunt:* ostentant.
atrocem: seuerum contra uitia.
podice levi: in puerili, sine pilis.
13 *caeduntur:* inciduntur.
medico r.: qui scit unde hic morbus processit.
14 *rarus:* raro loquuntur ut seueri appareant.
libido: uoluntas, desiderium.
15 *atque s. b. c.:* ut appareant seueri, depilatum habent supercilium.
16 *magis ing.:* se agebat libere. fecit.
Peribomius: nomen cinedi.
hunc: Peribomium.
17 *imputo:* ideo quod malus est.
morbum: i. e. uitium (man. alt.).
17 *incessuq.:* omni corporis gestu.
18 *horum:* talium qualis fuit Peribomius.
19 *veniam:* indulgentiam.
peiores: sc. sunt senatores.
talia: peccata.
20 *Herculis:* i. fortibus.
invadunt: aggrediuntur.
21 *agitant:* ceuent, crisant ad coitum.
ceventem: inclinantem ad stuprum, te agitantem.
22 *Varillus:* uulgaris quidam.
quo: in. sum.
28 *in tabulam:* qua damnatus est.
dicant: consentiant, scribant.
29 *qualis:* tales sunt illi.
tragico: turgido, quo tragoediae scribendae sunt.
30 *revocabat:* admonebat.
amaras: duras.
31 *omnibus:* adulteris.
ipsi: diis.
Veneri: quia hi adulteria perpetrauerunt.
32 *tot:* multis.
abortivis: ne ex Claudio coheredem Neroni filium pareret, cui praeparabat imperium.
33 *solveret:* aperiret.
patruo: Germanico, qui fuit frater Claudii, cuius filia fuit

10. *deuer* pro *deum (deũ). dicti e. q. s.* ex interpretatione verbi *cynici* huc translata videntur. cf. gl. G. IV p. 219, 28 *Cinici philosophi sunt a canibus vitam ducentes.* ib. 29 *cinus canis graece.* Similiter Osbern p. 91: *notandum autem quod canis dicitur cynos ... inde cynicus i. caninus et cinaedus ... Iuvenalis* (II, 9. 10).

11. *hispida*] cf. Schol. P.

21. cf. gloss. Keilii VII, 14 (V p. 653, 35 Goetz): *cevet inclinatur. — cevo est clunes agito* glossa V p. 616, 40. Respicit hunc locum glossa Keilii p. VIII, 7 (V p. 654, 7 G.) *Cynedi qui publice clunem agitant* [*i. e. saltatores vel pantomimi.* add. al. man.].

30. *revocabat* P. — *rat* pO.

31. *ipsi* p solus.

32. 33. cf. primum scholion P. *neptis* pro *fratris filia* ante saeculum quartum legi non videtur. glossa IV p. 5, 13 *abortivis subito natis* huc spectare videtur.

Iulia; ergo neptem suam habet.

34 *ultima:* pessima.

fictos: senatores philosophos.

35 *contemnunt Scauros:* contemptibiles reddunt. philosophos a Scauro.

castigata remordent: i. uitia, quae castigantur ab illis. in aliorum reprehensione remordent ipsorum conscientiam.

36 *torvum:* pro torue.

38 *subridens:* locuta dixit.

felicia: yronia i. non felicia, sic est inuecta Laronia in in (*sic*) censorem suum.

39 *moribus:* nostris prauis.

habeat: seruet castitatem. yronice.

40 *tertius:* dies, inquit, tertius est, quod Cato. ironice.

41 *hirsuto:* inculto.

spirant: fraglant.

42 *dominum:* negotiatorem.

monstrare t.: ut et nos emamus.

43 *vexantur:* si prouocantur ad uindictam.

citari: moueri, euocari in publicum.

44 *Scantinia:* lex.

respice: o senator.

45 *plura:* quam mulieres.

46 *numerus:* multitudo peccantium.

46 *iunctaeq. u. ph.:* armatae multitudinis ambitus.

47 *molles:* cynedos.

48 *nostro:* in feminis.

tam: quam in uirorum.

detest.: horribile.

49 *Mevia:* meretrix.

lambit: demulcet ad coitum.

Flora: meretrix.

Catullam: ut femina cum femina coeat sicut uir cum uiro.

50 *Hispo:* iuuenis cinedus.

subit: sibi appetit.

utroque: patientis et ferentis stuprum.

51 *civilia i.:* aut numquid.

52 *strepitu:* tumultu.

movemus: causas agendo.

53 *luctantur:* palestrizantur tantum.

paucae: e uobis (*sic*).

54 *trahitis:* netis.

calathis: quasillus latus. calathus graece uocatur uas uimineum in quo globi et fili ponuntur.

refertis: reportatis.

55 *vellera:* lanipendia.

praegnantem: plenum, nam fusus, dum fila accipit, paulatim in grossitudinem proficit.

56 *Penelope:* Penelopeia. datiuus pro abl.

levius: subtilius.

---

35. inde gl. Keilii p. VII, 12 (V p. 653, 33 G.) *Scauri philosophi turpissimi* cf. VI, 604 Scaurorum gl p: *philosophorum, a primo Scauro.*

41. de hac forma cf. Buecheler Ann. Fleckeis. vol. CV p. 111. In glossariis legitur IV p. 80, 34. 35. V p. 202, 26 sq. p. 619, 28. cf. ib. 29. IV p. 40, 18 confraglare.

44. *Scantinia: lex.* cf. Cornutus apud Hosium p. 95: *Sc. lex de cinedis.* gl. Keilii p. VIII, 31 (V p. 654, 24 G.).

50. *et patitur et lambit* Schol. P.

53. Hunc versum glossator adversario Laroniae tribuisse videtur, at cf. v. 64.

54. cf. Serv. ad V. Ecl. II, 45 (= Paulus Festi p. 47) gl. G. II p. 166, 45.

56 *Arachne:* datiuus graecus pro abl.

57 *horrida:* i. e. re uera meretrix quaelibet.
residens: ut aranea quam propter Mineruam, cui odiosa est, pelicem dicit.
codice: truncus i. cippus arboris.

58 *notum:* nobis feminis.
tabulas: testamentales.

59 *liberto:* solo nomine eius.
vivus: adhuc.
cur m. p.: scil. ob stuprum. uxori.

61 *tu nube:* o tertia.
tace: stuprum mariti cum cinedo.
arcana: ea quae sunt secreta vel silenda.

62 *nobis:* feminis.
haec: tanta scelera uirorum. damna.
fertur: a uobis, si tale fecerimus.

63 *dat v.:* ipsa sententia i. impudicis uiris.
censura: iudicium nostrum.
columbas: i. nos.

64 Huc usque uerba Laroniae.
canentem: Laroniam.

65 *Stoicidae:* i. cinedi et lasciui.
Laronia: dixit.

66 *multicia:* delicatissima.

68 *Proculas:* in illarum proculas. numero pluraliter autem dixit sicut Senecas.

68 *Tabulla:* proprium meretricis.

69 *Carfinia:* proprium meretricis.
talem: i. tantae tenuitatis.

70 *sumet:* in lupanari i. in multicia.
Iulius: mensis.

71 *Nudus ag.:* si causas. melior est insania quam talis superfluctus.

72 *En hab.:* in quo sc. audiretur.
ferentem: promulgantem.

73 *crudis:* recentibus necdum sanatis.

74 *positis:* de.

75 *proclames:* ó poeta.
ista: uestimenta.

76 *deceant:* senatorem et iudicem.
testem: Romae libertatis.

77 *acer:* uelox.
indomitus: insuperabilis. ab aliquo senatore.

78 *perluces:* per tenuem uestem luces.
contagio: tua.
labem: uitium uestis.

79 *grex:* porcorum.

81 *uva:* sana.
livorem: nigredinem et putredinem.
ab uva: corrupta.

83 *fuit:* augmentando.

84 *paulatim:* per talia uitia.

57. *aranea:* cf. Schol. P.

61. *tertia aut ordine aut nomen proprium est, ut putat Probus* Valla. — *arcana secreta*, ubique in glossis, e. g. IV p. 20, 23. 41. 44. p. 207, 23. p. 310, 21.

66. *delicatissima:* addendum videtur *vestimenta.*

68. Videtur gl p eandem interpretationem amplecti, quam Panormia Osberni (p. 412): *procula i. vestis quaedam pretiosa, quia de procul afferebatur et dicitur procula quia a procul lata, unde Iuv. i. p. e. p. e. m. L.*

76. *testem.* per errorem haec glossa ad v. 77 scripta huc irrepsit.

84 *domi:* sc. procedentes ad bellum.
85 *posuere:* imposuere.
monilia: ornamenta muliebria.
86 *abdomine:* pinguedine.
87 *cratere:* ex uino ei sacrificabant.
more sinistro: peruerso ordine procul exagitabantur.
88 *exagitata:* eiecta.
89 *deae:* bonae.
90 *gemit:* canit.
tibicina: mulier tibia canens.
91 *secretali:* nocturnali.
orgia: sacrificia.
taeda: incendio.
92 *lassare C.:* inquietare. deam mulierum.
93 *ille:* alius.
madida: humida.
fuligine: nigro colore uel stibio uel ceraso.
94 *obliqua:* recurua.
producit: depingit.
trementes: palpantes prae dolore.
95 *ille:* deest alius (in marg. dext.).
Priapo: Priapus Lampsacenus fuit de Lampsaco.
96 *reticulumq. c.:* cuphiam quia comas nutriebant ueluti feminae.
97 *scutulata:* orbiculata.
97 *galbana:* a galbaneo colore.
rasa: i. lucido, subtili.
98 *et:* etiam.
Iunonem: cum debuisset iurare per Iunonem.
99 *ille:* alius.
speculum: quod Otho gestare solitus erat.
100 *Aurunci:* Italici.
spolium: in spectaculo.
101 *armatum, c. i. t.:* quando nocturna praelia pugnaret uel cum facturus erat bellum.
103 *speculum:* erat illud speculum.
104 *summi d.:* ironicos. pertinet ad ducem.
ducis: Othonis.
105 *curare:* diligenter mundare.
summi: ironicos.
constantia: uirtus.
106 *Bebriaci . . .palati:* palatium iuxta quod interfectus est Otho. sic dictum a loco.
107 *pressum:* extensum.
108 *quod nec . .:* hoc factum est in Roma.
pharetrata: armata.
110 *hic:* Romae.
verbis: sc. turpibus.
112 *crine:* hic est.
albo: cano.

---

85. *monilia* cf. Fest. p. 138. inde glossae: V p. 466, 16. IV p. 366, 4. p. 120, 9 etc. cf. etiam II p. 130, 35 m: ὅρμος γυναίκειος.

86. cf. Schol. P. Cornutus (apud Cramerum p. 586), glossa Keilii p. IV, 3 (= V p. 652, 3 G). Placidus: (V p. 43, 3) *abdomen graece pinguedo carnium.* gl. G. V p. 615, 38 *abdomen est pinguedo carnis.*

93. Fest. p. 84: *furvum: nigrum vel atrum. Hinc dicta . . . . fuligo.* p cum P *tinctum* legit (*tactum* cod. cet.). Utramque lectionem habes apud Priscianum (II p. 162, 13. p. 259, 13).

95. *Priapo* cf. Serv. ad V. Georg. IV, 111.

96. de verbo *cuphia* cf. Ducangii lexicon s. v.

97. cf. Cornut. (Cramer p. 587 ex cod. Monac.). gl. Keilii p. XII, 16 (V p. 656, 42 G.) *rasa subtili. colores sunt vestium mulierum.*

98. scripturus erat p: *Iovem.*

100. *Aurunca: Italia* gl. Keilii p. V, 26 (V p. 652, 34 G.). ad I, 20 interpretatur p: *Auruncus: Tuscus.*

113 *antistes:* quasi antestans.
114 *gutturis:* uoracitatis.
conduc. m.: ut alios instituat sibi similes.
116 *abrumpere:* uel scidere.
carnem: uirilia.
118 *aere:* tuba.
119 *signatae t.:* sunt testamentales, dotales.
120 *sedet:* parabatur, uel sedebatur ad cenam.
121 *proceres:* romani.
censore: iudice.
haruspice: diuinatore.
nobis: certe ambobus.
122 *horreres:* o lector. timeres, obstupesceres.
maiora: his, cum tamen non essent maiora.
123 *ederet:* parturiret (man. rec.).
124 *segmenta:* monilia umaruang. ille.
longos h.: tunica tunichun pallium.
flammea: operimentum capitis uel orarium winfilun.
125 *qui:* antea.
sacra f. n. l.: capsula exoraria uel breuia simulacra.
126 *sudavit:* laborauit, deest sub.
pater u.: Mars.
127 *Latiis p.:* i. romanis ducibus.
128 *tetigit:* corrupit.
urtica: prurigo uitiorum.
nepotes: Romanos.
129 *ecce:* tergo (manu pessima).
130 *galeam:* galeatum capud (*sic*).
quassas: concutis.
cuspide p.: lancea percutis sicut faciunt indignantes.
131 *quereris:* causaris.
patri: ioui.
cede: recede (deinde erasum).
132 *officium cras:* uerba duorum inter se loquentium.
136 *in acta r.:* in annalibus scribi.
137 *Interea:* poeta (marg.).
139 *melius:* est.
animis: uoluntatibus, quod uellent parere.
142 *palmas:* percussiones.
144 *arenam:* theatri.
147 *omnibus:* nobilior.
spectantibus: regem. stantibus ad podium.
ipsum: Neronem.
148 *admoveas:* adiungas.
munere: persuasu.

113. cf. gloss. G. IV p. 406, 3: *Antistites antestantes sacerdotes.* — *antistes dictus ab eo quod antestat* Isid. Or. VII, 12, 16.

116. *abscidere* codicum deteriorum lectio.

121. *censor: index* etiam XIV, 50. *censor: index morum* Gl. V p. 54, 3.

124. *Segm.: mon.* cf. Serv. ad V. Aen. I, 654 (= Isid. Or. XIX, 31, 12): 'monile ornamentum gutturis, quod et segmentum dicunt, ut Iuv. s. e. l. h. (II, 124). Licet segmentatas vestes dicamus, ut ipse (VI, 89) et s. d. p. c.'. — Rectius rem explicant schol. P (II, 124 et VI, 89) et glossae. cf. V p. 623, 20 *Segmentum vestis mulierum.* ib. 21 *Segmentatus i. veste indutus:* V p. 526, 13. 579, 12. 578, 49. Panormia Osberni (p. 529) *segmentum i. longa vestis cuius necesse est partem secare. unde Iuv. s. e. l. h.* Neque *monilia* interpretantes Servium sequuntur. cf. ad v. II, 85. De verbo *orarium* cf. Roensch, It. p. 318. Legitur etiam VI, 225 flammea *oraria.*

125. *sacra:* cf. Cornutus (Cramer p. 588).

126. *Mars* et 128. *prurigo.* cf. Schol. P.

130. *quassat vexat concutit* glossa IV p. 558, 53. V p. 326, 18. cf. Festus s. v.

131. *recede* et 136. *annales* cf. Schol. P.

142. ...*et percussae palmatorio gignebant.* Cornutus (Cramer p. 588).

149 *subterranea:* infernalia.
150 *contus:* quo ducitur nauis.
Stygio: Accarontis (*sic*).
151 *vadum:* Cocyti.
152 *qui n.:* dant nummum pro sua lauatione.
153 *tu:* qui legis.
sentit: in tormentis.
157 *umbra:* mortuorum.
lustrari: expiari.
158 *sulfura:* his mundabantur corpora.
160 *promovimus:* extendimus.
captas: habemus.
161 *minima c. n.:* quibus sufficit minima nox.
162 *quae:* flagitia.
populi: Romani.
urbe: Romana.
163 *et tamen:* quamuis peiores illis sumus.
165 *ardenti:* amanti.
166 *quid f. c.:* aliorum munera.
167 *homines:* sc. uitiosi.
168 *amator:* sc. malus.
169 *cultelli fr. fl.:* omnis disciplina militaris.
170 *praetextatos:* tam turpes.
referunt: a Roma.

---

151. *Cocyti:* glossa favet Buecheleri coniecturae *regna et* | *Cocytum.*
157. *lustrare circuire per agere vel expiare* gl IV p. 111, 37.
ad 170. *Artaxata genus vestis peregrinae* gloss. Keilii p. V, 20 (V p. 652, 30 G.) ex Cornuto (cf. Hosius p. 95). Ad *bracae* quin scripta fuerit, nemo dubitet.

Vita.

Natus sum Franciscus Otto Ernestus Lommatzsch Erlebachiae Saxonum Meiningensium die XVIII. m. Augusti a. h. s. LXXI patre Bernhardo matre Anna e gente Sieber, quibus gaudeo superstitibus. Fidem profiteor evangelicam. Litteris institutus sum in gymnasio regio Halberstadtiensi, auspiciis tunc Gustavi Schmidt florente, cuius manibus tantum me nunc gratias agere posse doleo. Vere a. XC. maturitatis testimonio instructus Jenam me contuli ibique per unum annum militiae, per unum litteris dedi operam. Vere a. XCII. in hanc universitatem transmigravi, cuius usque adhuc civis fui academicus. Docuerunt me v. cl. Delbrueck, Eucken, Gaedechens, Gelzer, Goetz, Gundermann, Hirzel, Liebmann, Schrader Jenenses; Bethe, Brinkmann, Buecheler, Elter, Koser, Loeschcke, Martius, Nissen, Ritter, Solmsen, Usener, Wiedemann Bonnenses. Proseminarii philologi Jenensis per bis senos menses fui sodalis. Buecheleri Elteri Useneri egregia erga me benevolentia factum est, ut in seminarium philologorum Bonnensium reciperer, cuius per ter senos menses fui sodalis ordinarius. In seminarium historicum benevole me admiserunt Gelzer, Koser, Nissen. Exercitationibus ut interessem benigne concesserunt: archaeologicis Loeschcke, epigraphicis Buecheler, mythographicis Bethe, philologis Brinkmann et Buecheler, philosophis Elter et Martius. Quibus viris omnibus gratiam habeo maximam; inprimis Buechelero quid debeam, nunquam obliviscar.

Sententiae controversae.

I.

Diod. XI, 4, 7. ἧκον δὲ εἰς τὰς Θερμοπύλας καὶ Λοκροὶ χίλιοι καὶ Μηλιέων τοσοῦτοι καὶ Φωκέων οὐ πολὺ λειπόμενοι τῶν χιλίων. Scribendum Θεσπιέων. cf. 3, 2. Herod VII, 202.

II.

Plato Theaet. p. 158 B . . τί ἂν τις ἔχοι τεκμήριον ἀποδεῖξαι, εἴ τις ἔροιτο νῦν οὕτως· ἐν τῷ παρόντι πότερον καθεύδομεν. . . vulgo interpungitur post ἐν τῷ παρόντι.

III.

Appianus Sallustii historiis non usus est.

IV.

Quae Plinius de Aeoliis insulis et Aeolo rege refert (n. h. III, 92 sq.) ex Polybio sumpsit. cf. Strabo VI, 2, 10. I, 2, 15.

V.

Ovidius in describenda Herculis morte (Met. IX, 134—238) Sophoclis Trachinias excussit.

VI.

Iuvenalem fuisse exulem demonstrari non potest.

VII.

Quae feruntur Iuvenalis vitae, ex ipsius carminibus compilatae sunt.